

Ita omne hoc iustitiae opus procuratio bonitatis est, quod iudicando damnat, quod damnando punit, quod ut dicitis sequitur, utique bono non malo, proficit. Denique timor iudicij ad bonum, non ad malum confert. Non enim sufficiebat bonum per semetipsum commendari, iam sub aduersario laborans. Nam & si commendabile per semetipsum, non tamen & conseruabile quia expugnabile iam per aduersarium, nisi uis aliqua praeserret timendi, quae bonum etiam nolentes appetere & custodire compelleret. Ceterum tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret quod impune contemneret? Quis custodiret quod sine periculo amitteret? Legis mali uiam latam & multo frequentiorem, nonne omnes illaberentur, si nihil in illa timeretur? Horremus terribiles minas creatoris, & uix a malo auellimur. Quid si nihil minaretur? Hanc iustitiam malum dices, quae malo non fauet? Hanc bonum negabis, quae bono non prospicit? Qualiter oportet deum uelles? qualem malles? Expediret sub quo delicta gauderent, cui diabolus illuderet: illum bonum iudicares deum, qui hominem posset magis malum facere, securitate delicti? Quis boni autor, nisi qui & exactior? Proinde quis mali extraneus, nisi qui & inimicus? Quis inimicus, nisi qui & expugnator? Quis expugnator, nisi qui & punitor? Sic totus deus bonus est, dum pro bono omnia est. Sic denique omnipotens, quia & iuuandi & laetandi potens. Minus est, tantummodo prodesse, quia non aliud quid possit cum prodesse: de eiusmodi qua fiducia bonum sperare, si hoc solu potest? quomodo innocentiae mercedem sectet, si non & nocentiæ speciem? diffidam necesse est, ne nec alteram partem remunetur, qui utramque non ualuit. usque adeo iustitia etiam plenitudo est diuinitatis ipsius, exhibens deum perfectum, & patrem & dominum: Patrem, clementiam: dominum, disciplinam. Patrem, potestate blanda: dominum, severam. Patrem, diligendum pie: dominum, timendum necessarie. Diligendum, quia malit misericordiam quam sacrificium, & timendum quia nolit peccatum, diligendum quia malit poenitentiam peccatoris quam mortem, & timendum quia nolit peccatores sui iam non poenitentes. Ideo lex utrumque definit, diliges deum & timebis deum. Aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. Ad omnia tibi occurrit deus, id est percutiens sed & sanans, mortificans sed & uiuificans, humilians sed & sublimans. Condens mala, sed & pacem faciens, ut etiam & hic respondeam haereticis. Ecce enim, inquit, ipse se conditorem profitetur malorum, dicens: Ego sum qui condoo mala. Amplexi enim uocabuli communionem, duas malorum species in ambiguitate turban tem, quia mala dicuntur & delicta & supplicia, passim uolunt eum conditorem intelligi malorum, ut malitiae autor renuncietur. Nos autem adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delictis & malis supplicijs, malis culpæ, & malis poenæ, suum cuique parti definimus autorem. Malorum qui dem peccati & culpæ diabolum, Malorum uero supplicij & poenæ deum creatorem: ut illa pars malitiae deputetur, ista iustitiae mala cōdantis iudicia aduersus

A's * quam prodesse.

Iustitia.